

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribenfūr dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adiuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescam?

Perfecto odio odoram illos: & inimici facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

Gloria Patri, &c.

**M**emento, Domine, David; & omnis mansuetudinis ejus.

Sicut jurauit Domino: votum vovit Deo Jacob.